

predictarum, qui quatuor electi teneantur et debeant jurare super corpore domini nostri Jesu Christi bene et bona fide, prius tamen informatione recepta, cognoscere, pronunciare et declarare in et super hujusmodi tunc commissis infra menses tres a die electionis de ipsis facte inchoandos. Et quicquid super hiis per dictos quatuor, seu tres ex eis infra dictum terminum fuerit cognitum, pronunciatum, vel declaratum, penitus observetur. Et infra alios tres menses a die dicte cognitionis, sententie, seu declarationis executioni mandetur. Quod si dicti quatuor electi, vel tres ex eis inter se non potuerunt convenire, ex nunc dicte partes nominibus antedictis eligunt et assumunt prefatum illustrem principem et dominum dominum Amedeum Sabaudie comitem, cui dicte partes dietis nominibus dant et concedunt omnimodam potestatem cognoscendi, pronunciandi et declarandi, partes citandi et procedendi summarie, simpli- citer et de plano, sine strepitu et figura, juris ordine observato et non observato, sola, mera, et pura facti veritate prospecta. Et quicquid per dictum dominum comitem dictum, pronunciatum, senten- ciatum et declaratum fuerit in predictis circa predicta, illud a dictis partibus et earum qualibet observetur et debeat executioni mandari infra menses tres a die dicte ejus declarationis, sententie et notifica- tionis facte parti de dicto pronunciamendo, sententia, et declaratione ejusdem. Et interim predictis pendentibus non liceat dictis partibus seu aliquibus vel alicui ex ipsis vel alicujus earum quovis modo pro- cedere in hac parte ad aliquod opus facti. Si vero cognita, pronunciata et declarata per prefatum dominum comitem non fuerint obser- vata et ut premittitur executa, tunc presens pars per partem non observantem habeatur pro rupta. Item ulterius fuit actum inter dictas partes, quod si super aliquibus contentis in pace predicta quevis obscuritas, dubietas, ambiguitas vel contrarietas aliqua, quod avertat deus, oriretur inter partes superius nominatas, seu aliquam earun- dem dominus Sabaudie comes habeat plenam et liberam potestatem declarandi et interpretandi super ipsis ambiguitatibus, contrarieta- bus, obscuritatibus et dubiis ortis, prout sibi videbitur faciendum.